

Biographische Schriften über Ettenheim-Münster von Karl Will.

263

bus refectorii praeter alias sanctarum imaginum picturas, haec inscripta videbantur ad mensae lectorem versus cathedram latere sinistro: „alacriter lege, tarde pronuntia, corrigentem observa.“ — Alio in loco Christus sanguinem sudans sequentes referebat versus:

„A fronte et a tergo furialibus impetor armis
Jamque ferus cingit miles utrumque latus,
Quin adversus hominem ultrici pater aestuat ira.
Quid faciam? — pro te, quae video, patiar!“

Ad picturam sanctiss. p. Benedicti et Scholasticae hi legendi erant versus:

„Per tria quod monachus sis factus vota professus
Non laudo, at laudo in religione mori.“

Reliqua adiacentia carmina, quia paene fuerant extincta, ac vetustate consumpta, legi et hac annotari haud poterant.

Anno igitur domini 1719 structuram novi aedificii juxta adiacens schema de novo aedificavit, ad culus initium et progressum die secunda Maii primum lapidem seu angularem magna populi frequentia adstante ac perillustri ac generoso domino libero barone de Garnier*, domino in Hecklingen, Forchen** etc. condomino in Riegel etc. (utpote speciali patrono nostri monasterii) assistente, posuit abbas. Actum istum fufus descriptum una cum contractu etc. invenies in archivio. Lapidum angulari juxta appositam figuram effornato*** inclusa fuerant varia numismata benedicta, monetae aureae et argenteae, species ac pretia frumenti et vini, nec non scheda sive tabula ex pergamento nomina abbatis et singulorum religiosorum pro tempore existentium continens. Copia inclusae membranae est pariter in archivio invenienda. Locus vero, ubi lapis, de quo mentio, positus fuerat, signatus est hac inscriptione in angulo prioratus jacens: „huc positus sum anno 1720, secunda Maii.“

Eo tempore gravis cum subditis Münchwyrans exorta est lis, operas enim ipsi ad recessu struendum coenobium praestare renuebant. Per decretum autem imperialis camerae Wezlaricensis ad praestandas dictas operas sunt compulsi, qui postmodum suam pertinaciam et obstinatam inobedientiam varie luebant, nec tamen integre ad frugem reducebantur repugnare ac resistere nati.

Praeter monasterium insuper et structuram balnei et alia ibidem abbas erexit aedificia. In ecclesia sancti Landelini altare majus et turrim cum duplici campana eidem apposuit. Anno sui regiminis 21^{mo} annua spiritualia exercitia frequentandi reduxit restituitque consuetudinem.

Multa etiam subit vitae discrimina: siquidem anno domini

die Münzen, welche im Grundsteine gefunden wurden (von 1492—1519). S. Will's Jahrbuch S. 75. Die Ausmalung des Refectoriums und die Berge als Aufschriften wurden wahrscheinlich unter dem Abte Lorenz Guffjahr 1578—92, der auch Dichter war, gemacht. Daß Abt Lorenz Eßlinger nach dem Bauernkriege das 1719 abgebrochene Kloster erbaut hatte, beweist der Stein an demselben, der sein Porträt und seinen Wappen darstellte. Letzteres ist ein silberner, mit drei Kleeblättern belegter, nach links liegender Schrägballen im roten Felde. S. Will's Jahrbuch S. 101.

* Ueber die Familie Garnier siehe oben S. 188. ** Forchheim, Amt Renzingen. *** Es ist eine Zeichnung hier beigegeben.

1720 fatali correptus morbo, fere biduo extasim patiebatur, industria vero D. Medici in Emmendingen, ab eadem, qua detinebatur infirmitate, fuit liberatus et paulo post penitus convaleuit. Alterum Landavii* contigit. Cum enim anno 1728 ob monasterii negotia litumque causa cum Münchwyrans subditis pro tunc habiturum, Wezlarium (ubi memoratae lites ad cameram imperialem a regimine Tabernensi appellando decidenda fuerant devolutae) per dictam civitatem Landavium iter instituisset, subito in quadam dictae civitatis platea, lapide strata, casu fortuito e carpento, cui cum socio insederat, delapsus est in terram, qui ob velocem equorum, eos musto madente auriga impellente, cursum a socio retineri non potuit, aut tam celeriter ab eodem succurri. In cuius rei miserandae intuitu cuncti praesentes abbatem exanimem asserebant et de illius vita actum. Quamvis autem rheda illa plus quam 50 centenariis mercium pondere erat onusta, nullum tamen aut pedis aut brachii os fuit contritum comminutumve. Signa vero utraque rota pedibus impressa reliquerat clare apparentia diu. Secutus inde tumor eidem aliquot hebdomadas incedendi vim abstulit. Restitutus postmodum reliquum itineris perfecit et domum repetiit. — Tertium sustinuit, dum quadam die elapso anno supra memorato Ettenhemium cum cubiculario et venatore pergeret, eundem urbi proximum nobilibus quidam Alsata, nomine Reich, petulanter in publica cum socio aggreditur via, sclopeto duplici jamjam praeparato illum trajicere munitans, quod et fecisset, nisi abbas celerrime sibi consulisset blande eidem loquendo, usque dum in suburbio domum quandam ac demum civitatem arripuit Ettenheimensem. Haud etenim ferre poterat juvenis ille nobilis, quem abbas arguebat, quod in monasterii ditione aucuparetur venareturque. — Quartum in ipso monasterio 1728 contigit quodam die nil mali sibi persuadens per fenestram prospexit. At eni subito globulus tormenti bellici emissus nec minimum edens sonum proxime ad caput eius pervolat. Quo auctore evenerit, nemo potuit percontari. — Quintum denique anno 1736, dum itineri se comisisset inclinata jam die Schwaighusium versus, duo praedones, bacillis muniti, eundem sunt aggressi, a socio autem adiutus tandem liber evasit abbas.

Habuit hic abbas bella et jurgia plurima, inter quae et illud haud postremum est censendum, quod erat inter ipsummet et eiusdem conventum. Pro succincta rei notitia deseruiet sequentia. Ob varias lites abbatem inter et conventum ab aliquo jam tempore versantes, tandem abbas de resignanda abbatiali dignitate cogitabat, utque eius loco coadjutor eligeretur, conventui capitulariter congregato die 19 Julii 1723 proposuit instrumentum resignationis futurae. Quod exhibuit, sequentis est tenoris: „Nos Joannes Baptista, dei gratia abbas monasterii divi Ettonis, ordinis sancti patris Benedicti, in Brigolia et dioecesi Argentinensi siti, notum ac manifestum facimus omnibus et singulis, quorum interest, aut interesse poterit, quod nos, postquam a tempore canonicae adeptionis dignitatis et regiminis abbatialis dicti nostri monasterii jam ultra tredecim annos abbatialis huius regiminis grave onus belli pacisque iniuriis ac difficultatibus plenis temporibus dei nos roborantis auxilio, licet non sine frequentis difficultate, et saepe saepius etiam adversa valetudine portavimus soli,

* Landau in der Rheinpfalz.